



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1764**

**VD18 90118049**

§. 17. Papa Lugdunum venit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](#)

Sæcul. XIII.  
A. C. 1244.

mum matri locum honoris causa tribuens,  
Tum omnes Præfules ac monachi inge-  
nua provoluti junctis manibus profulsi-  
que lachrymis obsecrationem a Papa præ-  
scriptam fecerunt. Rex vicissim coram  
eis in genua subsidens, *Quantum mihi, &*  
*jebat, per famam meam licebit, tuebor Ec-*  
*clesiam contra Friderici injurias, & Papam*  
*exulem libenter recipiam, si Proceres id*  
*mihi suaserint; nam Reges Gallie eorum*  
*sententiam negligere haud possunt.* Ab-  
bates in gratias effusi eum in peculiarem  
bonorum operum suorum partem voca-  
runt. Intererant autem his comitiis e-  
tiam Cæsaris Legati, qui se Papæ petitio-  
ni opponerent.

### §. XVII.

#### *Papa Lugdunum venit.*

*Matth.*  
*Westmunt.*  
*p. 318.*  
*Alberic.*  
*p. 575.*  
*Marlot. to. 2*  
*p. 529. 531.*  
*533.*

Itaque S. Ludovicus Optimates Regni sui  
convocavit, eorum consilia hac super-  
re auditurus. Cum convenienter, Papa  
per Nuncium poposcit facultatem adeun-  
di Remos, quorum sedes tunc vacabat;  
quippe Archiepiscopus Henricus Bro-  
niensis 16 Julii an. 1240 post tredecim  
annos & quatuor menses pontificatus sui  
e vita demigraverat. Interregni diutur-  
nitas e dissensione Canonicorum, & ex  
competitorum ambitione provenit, quos  
inter memoratur Robertus Torotius, qui  
eodem

eodem anno 1240 ab Episcopatu Lingo- Sæcul. XIII.  
 niensi ad Leodiensem translatus, ut Ar- A. C. 1244.  
 chiepiscopus Remensis evaderet, subditis  
 & Clero suo grandes pensiones impera- Ægyd. Aur.  
 verat (nam pecuniis in ejusmodi casi- Val. c. 134.  
 bus non parcebatur) neque tamen voto-  
 rum metam attigit. Denique hoc ipso Duchesne  
 anno 1244 Juhel Meduanensis ex Archi- to. 5. p. 342.  
 episcopo Turonensi Remensis est factus.

Franciæ Proceres dixerunt, se non  
 permisuros, ut Papa sedem in Regno  
 ponat. Ne ejus præsentia dignitatem  
 Regiam obscuraret, veriti, juvenem Re-  
 gem suum inter ac virum in negotiis ver-  
 satissimum discrimen nimium videbant,  
 sciebantque, Aulam Pontificiam hospiti-  
 bus suis oneri esse. Rex igitur ex Pro- Matth. Par.  
 cerum sententia respondit, verbis tamen p. 576.  
 humanissimis. Tum Papa misit, qui ab  
 Arragoniæ Rege idem posceret, pariter-  
 que repulsam accepit.

Ad Regem Angliæ quod attinet, huic  
 Cardinales quosdam quasi ultro scribere  
 Papa jussit hunc in modum: *Tanquam a-  
 mici utile Tibi ac honorificum damus con-  
 silium, Papam per legationem orandi, ut  
 Regnum tuum, ad quod peculiare jus ha-  
 beat, præsentia sua honoret. Nos eum  
 in vota tua flectere pro viribus conabimur.  
 Immortali tibi gloriæ erit, si summus Pon-  
 tifex ipse in Angliam adibit. Sane nun-  
 quam id habemus, quod sciamus, accidit.*

*West-*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1244.

*Westmonasterii delicias & Londini opes  
spectandi desiderio se teneri aliquando dixit,  
quod non sine gaudio meminimus. Jucun-  
dum Regi suit hæc legere; facileque se  
induisset in laqueum, nisi prudentes viri  
eum cohibusserent dicendo: Romanorum  
usuris & sacrilegis mercatibus jam nimium  
infecti sumus: nec opus est, ut Papa hu-  
veniat Ecclesiæ ac Regni bona direpturus.*

Mon. Pad.  
an. 1244.

Sic exclusus Innocentius Lugdunum  
petere statuit, urbem neutrius partis suo-  
que Archiepiscopo tunc subditam. Er-  
go relicta Genua tanquam asylo non satis  
certo, terras Comitis Sabaudiæ transiit;  
ubi sub diem festum S. Lucæ, nimirum  
medio Octobri versabatur: denique cir-  
citer medium Decembrem Lugdunum  
advenit comitante Sabaudiæ Comitis A-  
mati IV. fratre Thoma. Hic prima con-  
juge sua Joanna Flandriæ Comite, Bal-  
duini Imperatoris Constantinopolitani fi-  
lia an. 1244 sine liberis mortua, alteras  
ad nuptias cum Beatrice Fiesca Summi  
Pontificis nepte processit, e qua alias in-  
ter soboles suscepit Amatum V. postea  
Sabaudiæ Comitem.

### §. XVIII.

#### *S. Ludovicus ægrotat.*

**P**aucis antea diebus, quam Papa Lug-  
dunum adveniret, Rex S. Ludovicus  
Pon-